Michonii Martini: Votum Serenifs. et Invictissimi Vladislao IV etc.

VOTVM

Sereniſsimo & Inuictiſsimo

VLADISLAO IV.

POLONIÆ ET SVEC: REGI, &c. &c.

Magno Moſchouiæ DVCI ELECTO.

DVM

Anniuerſariâ Electionis die

Solennes apprecationes Alma Academia Crac: pro Auſpicatiſsimo belli Moſchouitici ſucceſſu faceret.

A

M. MARTINO MICHONIO *Pilſneñ: Cont: Hier: Sen:*

ex intimo affectu concinnatum.



Fascia liligerô fruges complexa manîplo,
Aeternæ laudis nomen & omen habê.

Valerius Wilczogorski, St: Poës.

VOX POLONIÆ.

Egreſſus es in Salutem populi tui, in Salutem cum Chriſto tuo: percuſsiſti caput de domo impij: denudaſti fundamentum eius ad collum: maledixiſti ſceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad diſpergendũ me.

Abac: Cap: 3.

VOTVM.
ODE
Tricolos Tetrastrophos.

Pegase præpetibus discindito sydera pennis.

AVdax supremi progenies Iouis,
Quam Virgo surdis abdita postibus,
Curæq; dicata excubantûm,
De pluuio Danaë metallo,

Dolo influentis nescia Numinis,
Cœloque sparsis imbribus humida,
Frustrà periculum timenti
Edidit Acrisio nepotem.

O belluosis nobilis in fretis,
Seu Perseum te, seu Stenobeium
Eliberatâ ab irretortis
Andromedâ vocitem catenis.

Mucro-

Mucrone claudi, posthuma, Lemnij,
Parmaque doctæ, gloria Palladis
Quæsita claret, inter ignes
Luna velut renitet minores.

Tibi virentes tempora laureæ
Myrto impeditæ, sertaq; gemmeis
Lambent corymbis: seu renatum
Arboribus dederit decorem,

Vere auspicato fax Hyperionis;
Iniuriosis siue Aquilonibus
Querqueta Gargani laborent,
Et folijs viduentur Orni.

Nam sibilantis squamea Phorcydos
Truncare ferro guttura, & anguibus
Horrenda tortis amputare
Impauidus iuga ritè nosti.

Sed quid tepenti (dicite, dicite)
Enascitur mox sanguine? monstraq;
Cruor propinat? Ecce pennis
Erigitur sonipes repandis.

Ergò laborum præmia Pegaſus
Intaminatis iunget honoribus !
Clarumq́; geſtis, prædicabit
Poſt Ephyren Scythiãúe, nomẽ!

Abſcede vani fabula Perſei:
Deliberatas narret adoreas,
Æterna Fama, præliorum,
Magne Iagellonides, Tuorum.

Seu perduellis grex Othomannidum,
Emaſculatus ſiue furit Gethes;
Virtutis hæredem Paternæ
Sanguiueâ miniatus vndâ

Agnoſcat. At quid prodiga ſanguinis
Non experitur Moſchua? Lechicis
Repreſſa turmis: Iam perenne
Nomen habe memoreſq́; faſtos

Deuota fauſtis dextera prælijs,
Nuper ſacrato macta opobalſamo;
Deſideratiſque auſpicatum
Imperium cumula triumphis.

Lucet,

Lucet, ſed meliùs ſummo lucebit in Auge.

QValis vbi volucrum Princeps aquila armiger
Quam Rex Deorũ deſtinauit alto (Tonãtis,
Alituum regno, non immemor obſequentis olim,
In deferendo nectaris miniſtro.
Primo vere citis ſolitam vnguibus vrget officinã,
Oblita terræ textilisq; nidi.
Exuperat rapidas quas Æolus expuit procellas
Lateq; pandas nauigat per auras.
Talis IAGELONÆ *non diſsimilis propago gentis,*
Ad magna magnis excitata geſtis,
Alta petit, dociliq; nouum decus auſpicata ferro,
Beatiori peruagatur auſu.

Vt quæ

Vt quæ fædifragi quōdam tenuêre ſceptra Moſchi,

Adiungat olim Lechicæ coronæ.

Iam iam ſolifugæ fruſtrà noua moliantur arma,

Cuniculoſos quæritent meatus.

Occidet ipſa ſuis gens perfida, præfocata technis,

Sepelieturq́; obruta in cauernis.

Lābet Hyperboreis terrā Draco mācipatus antris,

Taboq́; canas imbuet pruinas.

Nec temerè mutilis noua prælia concitabit alis,

Victoriarum victus argumentis.

VLADISLAE Tua eſt bifrōs aquila, & Tuū Smo (lenſcū,

Tu ſolus Arctoi Atlas orbis eſto.

Rex,

REX bone, viue; Deus tibi nostris suppleat annis, Longæuam vitam.

AT bellicosis aucte phalangibus
Inuicte PRINCEPS, laurigeros age
Ordire gressus, expetitus
Visere depropera Polonos.

Sed vince nostræ gloria Lechiæ,
Sed vince magni consilij arbiter,
En destinati supplicantûm
Thuricremi famulantur ignes.

Hoc cultiorum regula mentium
Hoc verna Regum, Sarmatiæ & decus,
Hoc IAGELLONI grex Lycæi,
Sæpiùs optat, & auguratur.

Seu profligatas Sol Aquilonibus
Pertentat oras, seu cadit, aut genas

Proſpectat Auroræ rubentes;
Seu medium glomerat per orbẽ.

Credetis? eheu credite poſteri;
Deludor? an me fallit amabilis
Imago famæ? iam canoro
Increbuit bona fama mundo.

Miſcentur altis, per fora, cantibus
Et vota, & imæ Lechiadum preces:
Paſsimq́ue maiora augurati,
Cum ſenibus pueri ominantur.

Sic perbeati ſymbolon imperî,
Cohors Hymetti ammurmurat, & ſuo
Addicta Regi, fauſtitatem
De proprijs cupit addere annis.

O ergò lætis auſpicijs redi,
Victoriarum plenus; vt ebria
Suo cruore, atque vt ſupino
Moſchua te veneretur armo.

Cœlo missa dedit VLADSLAO *Sceptra Nouember.*

MEnsium præses, Latiæq; custos
Cynthiæ, denis Numa quem præire
Iussit annorum socijs, nec vmbras
Spreuit auitas.

Iane, turgenti clypeis Nouembri
Parce, lugubres patuliq́ue templi
Obsera postes, lachrymosa Moschi
Funera cessent.

Tympana, & tristes litui serenos
Induant vultus, & amæniorem
Concrepent pacem, miniata cesset
Sanguine dextra.

Cycneo pulchros redimitus artus
Syrmate incedat, niueoq́ue clarus
Calculo, certet generosiori
Fronte Nouember.

Nam laborantis Patriæ Parentem
Cælitus missum patefecit ille,
Et diu nobis dedit expetitum
agnoscere Regem.

Quo nihil maius, meliusue nostris
Arbiter Regnorum, Academiæque
Condidit terris, similem nec vllo
Tempore condet.

Annuam cuius reuolutionem,
Non decem tauri, totidemque vaccæ,
Nec tener fuso vitulus per aram
Sanguine soluet:

Mista sed largis precibus popelli
Subditi, plenam repetent quotannis
Non sine applausu meritoq; cultu
Munera acerram.

Iamque solennes, Tibi feriata
Intonat voces Academia: O REX
Viue, & hostiles reseca tumultus
Auspice Christo.

Vt gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, Imperatori victoria: ſic huic Moderatori Reipubl: beata ciuium vita propoſita eſt; vt opibus firma, copijs locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit: huius operis maximi inter homines atq́; optimi illum eſſe effectorem volo.

Cic.

In Stemma Almæ Acad: Crac.



Augur ego: Duo Sceptra, Crucis cur ſymbola præ-
Quippe eſt ſolliciti, germē Honoris onus. (bēt?
Eſt onus? eſt & Honos, mea Spes Academia: nā ſi
Quod patiaris habes? quo potiaris habes.
At dum Rex *geminis adiunget Moſchica ſceptris:*
Regia, crede, tuum dextra leuabit onus.

Theod. Naymanovvicz, St: Alm: Ac: Crac.

Augur es? Augur ego. Crucis hæc nō ſymbola præbēt:
In toto aſt retinent quattuor orbe plagas.
Africa, ſiue Aſia, aut America præeminet orbi,
Has Europa ſuo vendicat imperio.
Parcite Finitimi noſtris, rogo, parcite Sceptris:
Sunt etenim veſtrum cernua in obſequium.

Remigianus Piaſecki, St: Dial: Ac: Crac.

Sub fælicibus auſpicijs Clariſsimi ac Magnifici Domini,

D. CHRISTOPHORI NAYMANOWICZ,

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris, & Ordinarij Profeſ: Acad: Crac: Rectoris vigilantiſſimi.

Impenſis ex Fundatione perpetua, M. D. BARTHOLOMAEI NOWODWORSKI, *Equitis Melitenſis, Ordinis S. Ioannis Baptiſtæ Hieroſolymitani, S. R. M. Aulici, & militiæ Præfecti; excuſſum.*

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi. Anno Domini, M. DC. XXXIII.